





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*He . 21.*



PALÆSTRA TERTIA  
THEOREMATUM  
POLITICORUM,  
De felicitate Civili,

Quam,  
Auxiliante DEO,

Amplissimâ Facultate Philosophicâ  
consentiente,

publico subjiciunt examini,

PRÆSES

JOHANNES GEORGIUS à Göttingen/

Nobilis Borussus & Philosoph. D.,

Et


RESPONDENS

GOTHOFREDUS VOGELIUS,

Rastenburg-Borussus.

*Ad d. Novembris, locô, horisq; solitis*

*Anno 1672.*



REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.

BRAND. ET ACAD. TYPOGR.



UNIVERSITÄT  
THE ORE  
THE POLITICAL  
De Felicitate Civitatis  
Auctoritate DEO  
Angustinus  
JOHANNES  
GOTTFRIDUS  
WILHELMUS  
CHRISTOPHORUS  
FRANZ ET ACAD. INQ.





# Bono Cum DEO!

i.



*X fine Ethicæ initia ducenda esse, de eo nostra*  
 le, in superiori palæstrâ, exercuit industria:  
 quibus dum hanc attemperare volumus tra-  
 ctationem, quæ ad ejus finem pertinent, lati-  
 us pensiculabimur. Diximus in superioribus,  
 virtutes morales seu civiles esse objectum  
 Ethicæ, seu, ut explicatiùs loquamur, esse ma-  
 teriam objecti, seu objectum materialiter; ejusdem actiones es-  
 se modum objecti considerandi, seu objectum formaliter. Ut  
 ut in præcedentis, quòd, & quis sit ille finis, leviter indigitave-  
 rimus: tamen, idem repetere, præsens postulat causa. Dari fi-  
 nem in actionibus illis, adeo certum est, quàm firmum est, na-  
 turam & artem, quæ naturam imitatur, & omne, quod secun-  
 dum rationem est, habere semper finem. Eò pertinet, quod Phi-  
 losophus habet: *Omnis ars, omnisq; dicendi via, actio item, atq;  
 præeresis bonum quoddam expetere videtur.* l. i. Eth. c. 1. §. 1. l. i. m. m.  
 c. 1. l. i. Eud. c. 2. Equidem non omne, quod appetitur, est finis,  
 sic medium, fini obtinendo accommodatum, appetitur, nec ta-  
 men habet finis rationem, causa efficiens, quæ finem producit,  
 appetitur, quis verò eandem finem esse dixerit? sed id est finis,  
 quod propter se adpetitur, quod ultimò adpetitur, & propter  
 quod reliqua appetuntur: *finis quippe est, cujus gratiâ omnia fiunt*  
 l. i. Eth. c. 7. sive à naturâ, sive ab arte. Nam actiones civiles secun-  
 dum rationem fiunt; hinc & rationale dicitur principium  
 actionû esse: *esse enim, inquit, rationale, nihil aliud est, quàm actio-  
 nû principium esse.* Alexand. Aphrod. l. de Fatô & de eo, quod no-

A 2

stræ



stræ potestatis est. §. 14. p. m. 77. Adeoq; finem esse in actionibus humanis seu civilibus, extra dubium est.

2. Per finem in actionibus humanis, intelligimus ultimum finem, seu finem finium omnium, propter quem alii expetantur, ipse verò propter nullum aliud; Quis verò sit ille finis, curatiùs expediendum est. Quispiam ita posset dubitare: fines in actionibus humanis sunt duplicis generis, vel enim sunt operationes, vel opera, quæ post operationes relinquuntur: similia sunt, quæ habentur apud Arist. l. 1. Eth. c. 1. §. 3. *Fines alii sunt energie: alii præter eas opera quedam.* conf. & l. 2. Rhet. c. 23. & l. 1. m. m. c. 3. Jam opera sunt præstantiora operationibus suis: quippe opera sunt id, cujus causâ operationes illæ fiunt, & operationes fiunt propter opera; at verò *semper id, cujus causâ aliquid fit, melius est ac præstantius, quàm id, quod ejus causâ est,* Ut rectè docet Eustrat: comment. in l. 1. Eth. c. 1. §. 4. Jam verò si opera sunt præstantiora suis operationibus, quid prohiberet, quò minus & præstantiora essent ceteris aliis operationibus. Quod verò est præstantius ceteris omnibus finibus, id est ille finis, propter quem ceteri expetantur, ipse verò propter nullum aliud. Non negamus, quòd opera sint præstantiora iis operationibus, ex quibus ipsa procedunt, quòd & Philosophus adserit, l. 1. Eth. c. 1. §. 4. dicendo: *Quarum rerum præter actiones aliqui sunt fines, in his opera sunt actionibus meliora naturâ.* Verùm id dubium est, an opera sint præstantiora iis operationibus, quarum ipsa non sunt fines. Certè ille finis jus præcipui obtinet, & magis expetitur in actionibus humanis, qui non, in actionibus alteri fini est subjectus, sed cui ceteri omnes sunt subjecti. Sciendum, multos esse fines in actionibus, quia multæ sunt actiones seu operationes, hinc multæ de operationib<sup>9</sup> dantur scientiæ & artes: sic medica, nautica, Imperatoria, & Oeconomica &c. Suus cujusq; harum



harū scientiæ certus finis est, medicæ sanitas, nauticæ navis, Imperatoricæ victoria. Fines autem istos sibi ad invicem esse subordinatos, patet, quia & scientiæ seu facultates de actionibus humanis sibi ad invicem subordinatæ sunt. Idem sic ostendit Philosophus: *Quæcunq; verò hujusmodi* (videlicet scientiæ de actionibus humanis, ) *sunt, sub unam aliquam facultatem reducuntur, quemadmodum sub equestrem, frenorum effectrix, aliæq; omnes, quæ equestria instrumenta conficiunt: atq; hæc equestris, omnisq; demum actio bellica sub imperatoriam, atq; eodem modo sub alias aliæ.* l.1. Eth. c.1. §.7. In his videmus, quòd sæpè scientia seu facultas, cujus finis est opus, collocetur sub aliâ, cujus finis non est opus; sed operatio. v. gr. frenorum effectrix, cujus finis est opus, videlicet frenum, collocatur sub equestri, cujus finis est operatio. nimirum equitatio; ille verò finis deterior est eo, cui ille subjacet. Quod cum ita sit, non necesse est, ut ille ultimus finis sit opus, cum multæ sint operationes fines, quæ præstantiores sunt operibus. Eò respicit Philosophus, quando ait: *Nibil interest, utrum ipse operationes actionum sint fines: an præter has aliud quidpiam.* l.1. Eth. c.1. §.8.

3. Si quis detur finis, ultra quem actiones humanæ non progrediuntur, sed in quo tanquam in ultimò, acquiescunt, ille finis erit summum bonum humanum, & in humanis optimum: nam si finis ille, cui alter subordinatur, melior est altero, & deterior eo, cui ipse rursus subordinatur, erit ille finis optimus & summus, cui omnes alii fines subordinantur, ipse verò nulli. Quemadmodum illa ars optima est, cui cæteræ omnes subordinantur, ipsa verò nulli. Artes, docente Philosophò l.2. Phys. c.2. aliæ sunt, quæ materiam præparant, ut corium, lanam, lignum, &c. vel materiam præparatam magis elaborant, & instrumenta inde formant, ut plectra, frena, gubernacula, naves





&c. Aliæ, quæ instrumentis utuntur, ut equestris utitur frenò, ephippiò, nauclerus gubernaculò. Aliæ architonica: Architectonica est, ad cuius finem ordinati sunt fines omnes aliarum artium, quæ ceteris omnibus artibus præscribit, & finem suum illarum ministeriò consequitur. Arti Architectonicæ omnes aliæ artes subordinatæ sunt, ipsa verò nulli, & architectonica quoq; omnium artium optima est, & melior arte præparante, melior arte instrumentis utente. Dari verò finem ultimum, qui in actionibus humanis propter se expetatur, ceteri verò omnes propter ipsum, sequentibus declaratur. Certum est, actiones humanas non in infinitum progredi; Quod si secus, appetitus noster frustra esset: Nam in infinitum progredi, est sine carere, quippe infinitum sine caret: si ergo in actionibus humanis, quæ semper cum appetitu humano finiuntur, in infinitum expeteremus, utiq; appetitus noster, qui expetit, esset frustra: frustra scilicet est, *quod nullum habet finem*. l. 2. Phys. c. 6. & quod in infinitum expetit, id nullum habet finem. Quibus gemina habet Philosophus, dicendo: *Sic* (videlicet si omnia propter aliud expeterentur) *res progredetur in infinitum, & proinde etiam appetitus inanis sit futurus*. l. 1. Eth. c. 2. (1.) §. 1. Appetitum verò nostrum frustra esse, contradictionem involvit: appetitus noster est naturâ; natura verò est, & agit propter finem, quem etiam adsequitur, licet non in omnibus individuis, propter interveniens obstaculum, quomodo & medicina finem habere dicitur, licet hic vel ille medicus propter varia impedimenta finem interdum non adsequatur, ut id ipsum plenius explicat Alexander Aphrod: ad Imperatores de Fatò, & de eo, quod nostræ potestatis est. §. 4. 6. & u. adeoq; appetitus noster est propter finem; jam verò si idem frustra esset, utiq; propter nullum finem foret, atq; adeò appetitus noster esset  
propter



17

propter finem, & non esset propter finem, quod est contradi-  
ctionem involvere. Cum igitur appetitus noster non sit fru-  
strà; nec actiones humanae in infinitum tendent, & per conse-  
quens, erit illarum finis aliquis, quem propter ipsum, & pro-  
pter quem alia volemes, nec omnia ob aliud eligemus. Eum  
Summum Bonum atq; optimum futurum, perspicuum est.  
Adò, si non daretur ultimus finis actionum humanarum, sed  
unum ex altero appeteretur in infinitum ab appetitu, nihil erit  
bonum homini: nam propter finem ultimum reliqua sunt  
bona, & sublatò illo fine, reliquorum bonitas tollitur. Sicq;  
nullum bonum dabitur, neq; adeo dicere poterimus, volunta-  
tis objectum esse bonum: quæ omnia absurda! Ex quibus o-  
mnibus, Summum Bonum dari, & esse finem ultimum actio-  
num humanarum, patescit.

4. Media non possunt rectè ad finem ordinari, nisi finis  
præcognoscatur: non potest sagittarius rectè collimare, nisi  
scopum, ad quem collimet, præcognoverit. Ut media, ad Sum-  
mum Bonum rectè ordinari possint, necesse esse videmus, ut  
Summum Bonum, quod finis & Scopus est, præcognoscatur.  
Non obscure idem indigitat Philosophus, dicendo: *Hujus ergo*  
*(videlicet Summi Boni) cognitio annon magnum etiam ad vitam*  
*degendam habitura sit momentum? & annon hoc perspectò, sco-*  
*pum certum nobis propositum habentes tanquam sagittarii, id, quod*  
*expetere nos oportet, facilius consequemur?* l. 1. Eth. c. 2. §. 2. Suprà  
verò ostendimus, quòd in Politicis subtilis non exigenda sit  
cognitio; sed plana & tralatitia; facile est colligere, quòd neq;  
in Summò Bonò, hoc locò, cognoscendo, subtilitas sit requi-  
renda, sed rudis & crassa forma. Eò digitum intendit Philoso-  
phus, dicēs: *danda erit opera, ut pingvi, & planà ratione illud com-*  
*plectamur: hoc est, ut quid, & cujus scientiæ aut facultatis sit illud,*  
*ostendat.*



*ostendamus.* l. 1. Eth. c. 2. §. 3. Considerandum verò suscipiemus, quid Summum Bonum, & cujus scientiæ & facultatis sit, quod monet Philosophus dict. locò. §. 4.

5. Finis præstantissimus est præstantissimæ scientiæ, res est inductione clara, sic contemplatio Dei, est finis præstantissimus, & est finis præstantissimæ scientiæ, videlicet Metaphysicæ, seu Philosophiæ primæ. Summum Bonum Civile est finis præstantissimus in activis, etenim est finis Architectonicus & ultimus, quod ostendimus suprâ; proinde quoq; sit oportet scientiæ Præstantissimæ. Quod idem adserit Philosophus, dicendo: *Videri porrò possit is finis, quem dico, esse scientiæ reliquarum facultatum longè principis ac dominæ, ceterisq; imperantis.* l. 1. Eth. c. 2. §. 4. & l. 1. m. m. c. 2. Scientia præstantissima in Practicis seu activis est Politica, quod apud omnes in confesso est; Hinc Philosophus, *principem scientiam esse Politicam* (videlicet in Practicis) *nemo dubitat.* l. 1. Eth. c. 2. §. 5. Jam *firmissimū sit in omni probatione, quod nos sentimus, omnes id statuere.* l. 1. Eud. c. 6. & l. 7. Eth. c. 14. Idem docet Alexand. Aphrodisiensis, *Neq; enim, ait, vana res est, neq; à verò aberrans, communis hominum natura, quotiescunq; de quibusdam rebus inter se consentiunt omnes.* lib. de Fatò & de eo, quod nostræ potestatis est. §. 2. p. m. 10. Item Seneca. Epist. 117. *Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri.* Deinde, quod S. B. Politicæ Scientiæ sit, etiam inde enotescit, Scientia Politica agit de civitate; sed civitatis finis est Summum Bonum. Cujus autem scientiæ est, agere de civitate, illius etiam est agere, de fine civitatis; Nam *rei & principiorum ejus rei consideratio est ejusdem scientiæ,* teste Arist. l. 2. Top. c. 3. Et *v. finis est principium in practicis, sicut hypothesis in Mathematicis.* l. 2. Eud. c. 11. & l. 1. m. m. c. 19. Quomodo Oeconomice est agere de societate domesticâ, & illius est quoq; agere, de fine illius societatis



is domesticæ, nempe beatitudine domesticâ, nec facile dabitur exemplum in contrarium. Igitur Politicæ quoq; erit, agere de fine civitatis, qui est Summum Bonum Humanum.

§. Circa hanc Summi Boni definitionem, non exiguam aliquam multi passi sunt difficultatem, hinc in tot sententiarum iverunt divergia. Quid enim! aliud id esse dicunt docti, aliud indocti; neq; docti idem sentiunt, sed in varias scinduntur opiniones. Quò respicit Philosophus, dum ait: *quenam res sit beatitudo, de eo non est parva controversia: neq; vulgus & sapientes similiter eam declarant.* l. 1. Eth. c. 4. §. 3. Indocti, qui impetum potiùs, quàm rationem sequuntur, ex malò, quod illos torquebat, metiebantur Summum Bonum: Si quis eorum morbo conflictaretur, in sanitate apicem felicitatis ponebat: si quis in paupertatis lutò hæreret, is ad divitias, tanquam ad Summum Bonum, emergere conabatur. Hinc Arist. ex triplici vitæ genere, nempe plebeorum, civili & contemplativò, tot sententias ortas docet, l. 1. Eth. c. 5. (3) & l. 1. Pol. c. 5. Tanta est de Summò Bonò dissensio, ut Cicero dicat l. 1. de finibus: *de nullâ questione majorem fuisse, etiam inter Summos viros, dissensionem, quàm de eâ, quâ, quenam res sit hominis S. B., queritur.* Augustinus testatur, circa S. B. jam ætate Varronis, opiniones existisse ducentas octoginta octo. l. 19. de Civitat. Dei. c. 19. Inter tot sententiarum divortia, ad veritatis penetralia, viâ, quam præivit Aristoteles, ibimus, videlicet incipiendo ab iis, quæ non sunt Summum Bonum. Hinc & Arist. in scientiis passim à sententiis, quæ non in verò positæ sunt, principium ducit, progressurus ad veriorum sententiam. Illa namq; quæ non sunt, sunt nobis notiora, quàm quæ sunt; & verò, à nobis notioribus incipiendum esse, docet Arist. quando ait: *initium ab iis sumendum est, quæ sunt nobis nota.* l. 1. Eth. c. 4. §. 11. Si rem inchoare debemus ab iis, quæ

B

non



non sunt Summum Bonum, advocandæ erunt illæ sententiæ, quæ perperam in aliquo S. B. collocant: nam tales sententiæ, aliquid S. B. esse dicunt, quod non est S. B. Quia verò sententiæ de S. B. in infinitum variæ sunt; & verò Philosophis in more positum est, tales sententias excutere, quæ, vel rationis alicujus instar habent, vel multorum consensu defenduntur: facile statuere est, quid, inter tot ac tanta, in hõc negotiõ, dissensionum studia, nobis faciendum, videlicet illæ de S. B. nobis exanimandæ venient sententiæ, quæ aut aliquo rationis fundamento nituntur, aut multorum animis persuasæ, pugnacissimè defenduntur. Quid animi de hâc re Aristoteli sit, ex his colligere habebimus, quibus ait: *omnes quidem, quæ feruntur de S. B. opiniones, ad calculos revocare, fortassis operæ pretium non fuerit: satiùs q; erit, eas potissimùm, quæ sunt insigniores, quæq; aliqua ratione niti videntur, in medium proferre.* l. i. Eth. c. 4. § 7. & l. i. Eud. c. 3. Et Cicero, os, teste Floro, *cælestissime eloquentiæ, examen omnium de S. B. opinionum recusat: has, inquit, tot sententias (de S. B.) omittamus: hæc nunc videamus, quæ diu multùmq; defensa sunt.* l. i. Acad. Quæst. n. 130. Tom: 4. p. 51. Nominatissimæ sententiæ de S. B. sunt, imò illa, quæ inter omnes sequiores familiã ducit: S. B. consistere in habitu virtutis: 2dò, quæ tenet, S. B. positum esse in voluptate animi: 3tiò quæ præ se fert, S. B. voluptatibus corporis cerni. 4tò, quæ dicit, S. B. in divitiis situm esse: 5tò, quæ defendit, S. B. in honore collocandum: 6tò, cujus tenor est, S. B. in contemplatione versari. Suò quas ordine ventilabimus quæstiones.

7. Virtutem sive habitum virtutis esse Summum B. aliquàm multi in primis inter veteres sibi persuasisse putantur. Inter hos aciem, quorundã judicio, ducit Zeno, non ille Eleates, cujus meminit Cicero. 2. Tuscul; sed Citæus, qui amore antiquæ Philosophiæ



phiæ captus, Platonem sequi in animò habuit, & quia Plato passim, præcipuè in Gorgiâ & in Epitaphiò docet: *nihil præter virtutem bonum esse*, in hanc ivit sententiam, virtutem inter omnia bona summam obtinere. Vixit hic post tempora Aristotelis, Zeno enim fuit Auditor Polemonis, Polemon verò Aristotelis, ut docet Cicero l. 4. de finibus. Quam sententiam secuti sunt stoici, hinc Zeno *Stoicorum Princeps* agnominatur *ac inventor*. Cic. l. 1. Acad. Quæst. n. 131. t. 4. p. m. 51. Virtus sumitur dupliciter, vel secundum partes, & sic est habitus virtutis, vel secundum gradum, & sic ipsa operatio virtutis virtus esse dicitur. Zenonem & Stoicos de virtute secundum partes, seu ut est habitus, loqui, verisimile videtur. Nam virtus seu habitus virtutis, Zenoni & Stoicis est, *ἀδιαφορέια*, id est, talis habitus, secundum quem neutram in partem movemur, neq; cupiditate movemur, neq; lætitiâ efferimur, uno verbò, iisdem virtutis habitus erat carentia omnium adfectuum, hinc iisdem tantum una erat virtus, conf. Cicero l. 1. Acad. Quæst. n. 134. 135. Jam S. B. Zenoni erat *ἀδιαφορέια*: ejus locuples testis est Cicero, qui, *Zenoni*, ait, *S. B. est in his rebus, neutram in partem moveri: quæ ἀδιαφορέια ab ipso dicitur* l. 1. Acad. Quæst. n. 130. Ex his videri posset, habitum virtutis Zenoni fuisse S. B., atq; adeò simul & semel, eandem Stoicorum fuisse sententiam, ut qui Zenonem tanquam Principem suum secuti præsumuntur. Senecam quoq; existimare, quod passim in scriptis suis videre est, virtutem esse Summum Bonum, certum est, an ei virtus sit habitus an ipsa operatio, dubium videri potest; multi tamen putant, virtutem Senecæ esse habitum, ex eo, quòd aliquò locò dicat: *S. B. in judiciò esse, & habitu bonæ mentis*. Maximè tamen verisimile est, Stoicos per virtutem intelligere internam animi operationem, suo quod loco expediemus, Virtutem esse S. Bonum, etiam



etiam inter Neotericos quidam non infimi nominis existimant, ut Philippus Melanchthon l. 1. Philosop. Moral. p. 11. & Lips. l. 3. Manud. Dissert. 8. Verum ut hęc sententia non multum a verà recedat, non tamē vera est. Virtus zdum partes est habitus, ut passim Philosophus docet, & de multis l. 2. Eth. c. 6. Quod & ipsis, qui S. B. in virtute ponunt, in confessō est, immo expressim dicere debnt: habitum virtutis esse S. B. Nullus verò habitus propter se, sed propter aliud expetitur, quomodo Medicina est habitus, sed non propter se, verum propter aliud expetitur, videlicet propter sanitatem, neq; dabitur exemplum in contrarium. Jam Summum Bonum est id, quod propter se expetitur, & omnia alia propter ipsum. Secundò, S. B. est optimum, optimum verò est id, cui repugnat, nihil boni præstare. At verò virtuti non repugnat, nihil boni præstare, fieri enim potest, ut ipse quoq; docet Philosophus, *ut habitus licet adsit, nullum tamen bonum efficiat, id quod in dormiente & otioso homine evenit.* l. 1. Eth. c. 9. Similia sunt, quæ habet. l. 1. Eth. c. 3. (5) *Videtur enim fieri posse, ut, qui virtutem habet, vel dormiat, vel in vitâ nihil agat, & prætereà multa patiatur mala & adversa.*

8. Neq; multum a verà adhorret illa sententia, quæ tenet, voluptatem ex actione virtutis esse S. B. Vulgò voluptas tribuitur in voluptatem animi & corporis: per voluptatem animi intelligitur voluptas ex actione virtutis, quam etiam vocant voluptatem puram: Per voluptatem corporis intelligitur illa, quæ ad corporea inclinât, seu quæ oritur ex ratione, perturbationibus pravis corruptâ, vocaturq; voluptas impura, talis voluptas esse potest, quæ ex ingluvie, usu veneris, &c. capitur. Nos in præsentî perpendemus pensiculatiùs, S. B. non consistere in voluptate ex actione virtutis. (imò) Omnis voluptas est a naturâ ideò, ut per eam ad aliud quid faciendum incitemur, sic  
volu-



voluptas ex prolis generatione est eò fine, ut per eam ad pro-  
 lem generandam incitemur, sic voluptas ex nutritione est à na-  
 turâ eò fine, ut per eam ad nutriendum excitemur, neq; dabitur  
 exēplum dissimile. Idem cēsendum de voluptate ex actione vir-  
 tutis, quòd scilicet sit eò fine, ut ad agendum secundum virtu-  
 tes, per eam invitentur. Hoc ita esse, magni Philosophi semper  
 existimârunt. Plato in Philebò dicit: *Voluptatem non finem esse,*  
*sed ordinatam in finem.* Similiter loquitur Aristot. dicendo: *jure optari voluptatem, cum perficiat vitam, quæ cuiq; optabilis est.*  
 l. 10. Eth. c. 4 Explicatiùs de hâc re differit Alexander l. 4. Natu-  
 ral. Quæst. c. 26. dicens: *Honestum non in gratiam voluptatis, sed*  
*voluptatem in gratiam honesti esse optandem.* Jam verò Summum  
 Bonum est id, quod non propter aliud, sed propter se est. Cum  
 verò voluptas ex actione virtutis sit propter actionem virtutis,  
 scilicet, ut illâ voluptate ad actionem virtutis excitemur: in  
 solis mensurâ expositum esse judicamus, voluptatem ex actio-  
 ne virtutis non esse S. B. (zòdò.) Id S. B. hominis est, per quod ho-  
 mo, redditur & donominatur bonus. Idem non obscure adfir-  
 mat Seneca, dum ait: *Id in homine proprium solumq; est bonum,*  
*quò & probatur & improbatur:* & paucis interjectis ait: *illud*  
*est unum bonum hominis, quod qui habet, etiam si aliis destituitur,*  
*laudandus est: qui non habet, in omnium aliorum copiâ damnatur*  
*ac rejicitur. Quæ conditio rerum eadem & hominum est. Navis*  
*bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum*  
*aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore celata est, nec quæ*  
*fiscis ac opibus Regis pressa est: sed stabilis & firma, & juncturis*  
*aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida,*  
*gubernaculo parens, velox & consentiens vento. Gladium bonum*  
*dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distin-*  
*guitur; sed cui adsecandum subtilis acies, & mucro munimentum*  
 B 3 omne



*omne rupturus. Regula, non quàm formosa, sed quàm recta sit, quaeritur.* Epist. 76. p. m. 683. Jam verò Homo probatur, sive bonus dicitur, non quia voluptate illà adficitur & delinitur, sed quia honestè & rectè agit. Igitur Summum Bonum non est voluptas, quæ ex actione virtutis oritur. (2) Summum Bonum habet bonitatem ex se, non ab alio: nam *nullà re indiget, sed ex sese ipsa sufficit.* l. 10. Eth. c. 4. At verò voluptas animi non habet bonitatem ex se, sed ex aliò, quippe pro ratione ejus, ex quo est, sive mala, sive bona, sive melior evadit: nam *ex malis rebus mala resultat voluptas, ex bonis bona, ex optimis optima,* l. 10. Eth. c. 5. Hinc Alexander docet, *ab honesto voluptatem recipere perfectionem, & conditionem boni, non vice versà.* l. 4. Nat. Quæst. c. 26. Igitur voluptas prædicta non est Summum Bonum. Hanc sententiam, scilicet, S. B. consistere in voluptate animi, Epicuro adjudicant Diogenes Laertius lib. 10. in vitâ Epicuri, Seneca l. de vitâ beatâ c. 13, in primis Lactantius l. 1. de falsâ Philosophiâ. c. 7. In vitis tamen Cicerone l. 1. & 2. de finibus, & Plutarchò in vitâ Epicuri, qui docent: Epicurum S. B. in voluptatibus corporis collocasse.

9. Nec illorum sententia firmò stat talò, qui verniliter ex voluptatibus corporis Summum bonum architectantur. Hanc sententiam Philosophus adjudicat vulgo, & id genus hominum vocat *voluptarium* l. 1. Eth. 5. (3) Vulgus enim nihil sapit, & plerumq; animæ immortalitatem inficiatur, hinc S. B. claustris hujus vitæ metitur. Eadem sententia fuit Sardanapali, quem ad vulgi gustum, non ad Regum, sapuisse videas, ejus epitaphium fuit: *ede, bibe, lude, reliqua ne digitorum quidem crepitu digna sunt* Isidorus l. 2. Justinus l. 1. c. 1. Cicero l. 5. Tuscul. Item Aristippi, teste Lactant. de falsâ sapientiâ. c. 8. p. n. 253. Illam verò sententiam nihil in recessu habere, sequentia dabunt. Nam S. B. est  
homi-



hominis proprium; quippe est finis; finis verò est *usus proprius* l.1. Pol. c. 9. Idem docet prolixius l.1. Eth. c. 6. (7.) Hinc meritò Lactantius: *oportet summum summi animalis bonum in eo consistui, quod commune cum ceteris animalibus esse non possit. Sed ut feris dentes, armentis cornua, volucribus penna, propria sunt: sic homini aliquid suum debet adscribi sine quo rationem suæ conditionis amittat*, l. 3. de falsâ sapientiâ c. 8. p. m. 253. At voluptas non est hominum propria, convenit enim quoque brutis. Hinc Philosophus eos, qui Summum Bonum in voluptate corporis posuere, dicit *pecudum vitam vivere*. l.1. Eth. c. 5. Porrò S. B. est bonum sufficiens; Bonum sufficiens est, quod vitam facit expetibilem, nullius rei indigam l.1. Eth. c. 5. (7.) quod v. vitam facit expetibilem, nullius rei indigam, id non est cum dolore & periculò illatebrantis exitii conjunctum, omne enim tale, v. gr. morbus, vulnus &c. facit vitam molestantem non expetibilem. Jam verò voluptates corporis sunt cum dolore conjunctæ, quibus se multa homini ingerunt exitia. Experientia locuples testis est, aliquàm multos per voluptates in supremò dignitatis & felicitatis gradu præcipitia tulisse. Hinc Horatius l.1. Epist. *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas*. Divinus Plato *escam malorum* voluptatem appellat, quòd eâ videlicet homines capiantur, ut hamò pisces. Ergo evidens est, S. B. voluptatibus corporis non cerni.

10. Etiam in falsum prona videtur illa sententia, quæ defendit, Summum Bonum divitias esse: Quid enim? 1. S. B. *propter se eligitur, non propter aliud*, docente Philosophò. l.1. Eth. c. 7. & 12. Ast divitiæ, *aliorum gratiâ, nempe usûs gratiâ, expetuntur*. l.1. Eth. c. 5. §. 22. *Ille enim sunt duntaxat in iis, quæ utilia propriè dicimus*. l.1. citat. *Quod enim utile est, inquit Eustrat, vice quasi ministri fungitur, ad aliudq; spectat: id est, ad finem, ad quem referat*



refertur, cuiq; utile est. comment. in l. 1. Eth. c. 5. §. 22. Expetuntur divitiæ gloria causa. l. 4. Eth. c. 4. 2dò. Divitiæ non sunt Summum Bonum, divitiæ enim non sunt honorabiles, sunt in eo bonorum genere, quæ divitiæ dicuntur, quibus boni benè, mali verò malè utuntur. l. 1. Eth. c. 12. l. 1. mm. c. 2. Quibus consentit Eustrat: Divitiæ sunt externæ atq; instrumentariæ: earumq; usus anceps habetur, ut afferre tam bonorum, quàm malorum occasionem queat. comment. in l. 1. Eth. c. 5. §. 22. Proinde etiam Plato divitiæ dicit, bona imperfecta. l. 2. de Rebus publicis sive de Justo, & Cicero l. 1. de Invent. Summum verò Bonum est bonum perfectum, est enim ex se bonum honorabile, l. 1. Eth. c. 12. Neq; eo malè uti possumus, 3tò. Quia divitiæ exitio esse possunt, scilicet per abusum earundem; sunt enim divitiæ divitiæ, quarum præter usum & abusus datur. Quòd verò exitio esse possint, multa exempla ad oculum indicant, quæ tamen in re evidenti præterimus. Similia sunt, quæ Eustratius habet: pecuniaria vita est, quæ pecuniis acquirendis studium omne impendit, & violentiam etiam, quia ad ea, quæ cupit, consequenda, violentiam præ se ferre consuevit: dum, non modò fraudes ac dolos struit, sed infestas etiam manus imbecillioribus injicit, bonaq; ipsorum diripit, aliq; innumerabilia machinatur, ut ingentem divitiarum copiam sibi possit comparare. Comment. in l. 1. Eth. c. 5. §. 20. Errarunt igitur, quotquot S. B. in divitiis collocarunt. Hujus sententiæ sectatores appellantur, Midas Rex Phrygum, ob nimiam auri aviditatem χρυσομανής, id est, aurifurens nominatus, ut habet Eustratius dictò locò: Item Cræsus Rex Lydorum, & Crassus Civis Romanus.

II. Summum Bonum in honoribus non versari, proximè successuræ revincunt rationes, Philosophus docet, S. B. esse propter se expetibile. l. 1. Eth. c. 7. cui & consentit Lactantius, inquit: Non est igitur Summum Bonum, quod non propter se expetitur.

est



l. 3. de falsâ Sapientiâ c. 8. p. m. 256. Honor verò expetitur propter aliud: honores enim sectamur, ut alii nos bonos judicent: *Honorem persequi videmus, ut alij sibi persvadeant, nos esse bonos.* l. 5. Pol. c. 11. 2dò. Summum Bonum debet esse in eo, cujus est S. B. Honor verò, non est in eo, cujus est honor, sed in eo, qui alteri honorem tribuit, hinc tritò dicitur proverbio; *Honor est honorantis non honorati.* Quod fundum habet in Aristotele, dicente: videtur honor instabile & fugitivum bonum, evenit enim facilè, ut, qui ab hòc laudatur, culpetur ab illo. Unde Seneca: *omnibus qui placet, nemini placet.* Non igitur Honor S. B. est, Hinc & Philosophus: *Sepè boni viri glorie jacturam faciunt, eamq; molestè ferunt.* l. 5. Pol. c. 11. Et Plutarchus docet: *honorem esse αἰεταρον, instabile quid.* lib. 1. Educat. pueror. p. 68. Sed nihil horum de S. B., ut quod stabile esse docet Philosophus passim. Pro destruendâ hâc sententiâ Lactantius etiam hanc inducit rationem, *Quid, ait: cupiditas gloriæ? nonne in equis deprehenditur, cum victores exultant, victi dolent?*

*Tantus amor laudum, tanta est victoria cura.*

*Nec immeritò summus Poeta experiendum esse ait,*

*Et quis cuiq; dolor victo, quæ gloria palma.* l. 3. de falsâ Sapientiâ, c. 8. p. m. 256. At verò Summum Bonum esse proprium hominis, jam antè ostendimus. Errant igitur, qui omnia propter honorem, more Homerici Achillis, agunt, atq; adeo honorem, ad summam evehunt felicitatem.

12. Ultimò & ea vindice digna est sententia, quæ fuit Platonis, quæq; S. B. in contemplatione, sive scientiâ (etenim hæc idem sunt) collocat. Nam (1) Scientia potest esse in homine pravò, & contrà prava contemplari seu scire potest homo, conferatur in hanc rem Aristoteles l. 1. Eth. c. 6 (4.) Similiter arguit Lactantius, dicendo: *Præterea non mediocre hujus disputationis*

C

est



est vitium, quod scientia nuda ponitur (videlicet Summum B.) Incipient enim beatiore videri, qui artem aliquam scierint, immò verò, qui & res malas scièrint, ut tam beatus sit, qui venena didicerit temperare, quàm qui mederi l. 3. de falsâ Sapientiâ. c. 8. p. m. 256. At verò S. B. non nisi in bonò esse potest. (2) S. B., quod præsentis est considerationis, est hominis proprium, quod paulò antè evicimus. At verò contemplatio convenit quoq; Deo & intelligentiis: *Dei enim operatio Contemplativa est.* l. 10. Eth. c. 8. (3) Legimus l. 2. Ethic. c. 1. & 4., quòd Aristot. doceat, S. B. actione & usu acquiri; sed nihil horum de contemplatione, illa meditatione & doctrinâ acquiritur.

13; Quid Summum Bonum Humanum non sit, indigitavimus, jam, si verum est, quod Arist. dicit: *potior pars est scientia ipsius, quid sit, quàm quid res non sit.* l. 1. post. c. 25, ad præcipuum, nempe, quid S. B. Humanum sit, procedendum. Bonum non est unius generis, aliud genus, boni est, quod circa nos est, quale est sapientia, sanitas &c. aliud quod extra nos est, ut bona fortunæ, v. gr. divitiæ, honores, dicuntur aliàs bonum externum. *Bona externa,* inquit Eustrat; *ea vocamus, quæ neq; animæ, neq; corporis, sed alia quedam præter hæc sunt, ut propinquos, amicos, divitias atq; id genus cetera: quæ Supraia; id est, forensia quoq; idcirco dicuntur, quia foris sunt à nostrâ animæ scilicet & corporis substantiâ aliena.* Comment. in l. 1. Eth. c. 8. § 28. Bona externa sunt propter aliud, quomodo divitiæ, propinqui &c. Sed nihil horum de S. B. Humanò, id quod per se bonum, Igitur S. B. Humanum erit bonum circa nos.

14. Neq; bona circa nos sunt simplicia, sed duplicis generis, alia sunt in animâ, alia in corpore. Idem docet Philosophus, qui postquàm dixerat *alia bona esse externa,* & ad bona interna processerat, ait: *alia esse circa animam, alia circa corpus.* l. 1. Eth.



Eth: c. 8. Bona animæ, seu circa animam, sunt sapientia, scientia, prudentia, justitia & earundem actiones. Bona circa corpus, seu corporis sunt, pulchritudo, sanitas, robur & c. Jam dispiciendum venit, ex utris bonis Summum Bonum Humanum sit. Certum est, S. B. Humanum esse ex optimo genere bonorum: nã S. B. est, quo non est melius. Jam animæ bona sunt ex optimo genere, sunt enim præstantiora bonis corporis. Quod nec dissimulat Philosophus, *Bona, inquit: quæ circa animum sunt maximè propria, & maximè bona appellamus.* l. 1. Eth. c. 8. Quod cum ita sit, non obscurum est, S. B. Humanum esse bonum animæ.

15. Jam dudum Stoicorum sententia, quæ tenet, *animam hominis esse simplicem*, teste Plutarcho lib. de virtut. moral. multis est explosa rationibus; eandem confutavit Aristoteles lib. 1. Eth. c. 43. & passim, confutavit Plutarchus lib. de virtut. moral. cap. 5. & alii aliquàm multi. Quo Lectorem remittimus benivolum. Non, inquam, anima hominis est simplex, sed est composita ex variis partibus. Pars animæ alia est vegetativa, alia sensitiva, alia Intellectiva, alia rationalis. Jam rursus disquiritur, cujus in animâ humana partis Summum Bonum sit? Sæpè jam auditum, S. B., quod hîc quærimus, esse hominis proprium. Non est bonum animæ vegetativæ, convenit enim illud in bruta, in plantas & arbores, id quod adeo evidens, ut, fusiùs idem ostendi, nihil attineat. Neq; bonum animæ sensitivæ, quod est jucundum, ut quod omnibus animalibus commune est, hinc natura eadem appetitu concupiscibili instruxit, non alio fine, quàm quò jucundum consequantur. Idem existimat Philosophus lib. 1. Ethic. c. 5. (7.) Neq; tandem animæ intellectivæ est hominis proprium. Nam intellectus, docente Philosopho, est *θεῖον*, *divinum quid.* lib. 10. Eth. c. 7. & intellectus in homine *hominem Deo assimulat.* lib. 2. de Generat. animal. c. 3. & passim. Igitur



30  
tur bonum intellectus non potest esse hominis proprium: quippe *cujus boni facultas non est alicujus propria, neq; bonum ejus facultatis potest esse ejusdem proprium*: quomodo facultas sensitiva non est hominis propria, neq; proinde ejus bonum. Quid! Bonum intellectus nihil aliud est, quam contemplatio; at contemplatio maximè in Deum, & in cœlestes intelligentias, cadit. Quum igitur S. B. Humanum sit proprium hominis bonum: sponte ipsius rei patescit, S. B. Humanum non esse posse bonum intellectus. Quibus remotis, bonum animæ rationalis unicè remanet, quod, cum unum ex animæ bonis esse debeat, sit oportet beatitudo civilis, seu S. B. Humanum. Idem docet Philosophus, dum ait: *ratio est hominis propria* l. 7. Pol. c. 13. Idem sequitur Cicero, qui lib. 1. de Officiis ita differit: *Inter hominem, inquit, & belluam hoc maximè interest, quòd hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodq; presens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum; homo autem, qui rationis est particeps, consequentia cernit principia & causas rerum novit, earumq; progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus presentibus adjungit, atq; advertit futuras, facile totius vitæ cursum videt, ad eamq; degendam præparat res necessarias. Eademq; natura virationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem. Paucis interjectis ita pergit: Eius (nempe societatis humanæ) vinculum est ratio & oratio, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitq; naturali quasi societate: neq; ullâ re longius absumus à naturâ ferarum. sunt enim rationis & orationis expertes. Neq; secus existimat Seneca, qui dicit, *rationem hominis esse propriam*, & inter alia Epist. 10. Quibus quoq; consentit Quintilianus, qui ita: *Sicut, inquit, aves ad volatum, equi ad cursum, ad servitatem feræ gignuntur: ita nobis propria est mentis agitatio atq; solertia.* lib. 1. Instit. c. 1.*



Lp 329  
8

1000


200











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

A TERTIA  
 RE MA-  
 TICORUM,  
 te Civili,  
 m,  
 e DEO,  
 cate Philosophicâ  
 ente,  
 unt examini,  
 S E S  
 ORGIUS â Göttingen/  
 & Philosoph. D.,  
 DENS  
 S VOGELIUS,  
 -Borussus.  
*locô, horisq; solitis*  
 672.  
 ONTI,  
 ISNERI, SER. ELECT.  
 D. TYPOGR.